BENEDICTI MENZINI
FLORENTINI
Canonici S.Angeli,

ET

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO
Publici Eloquentiæ Professoris.

IN FVNERE

LEONIS DECIMI.

ORATIO

AD PONTIFICEM OPTIMVM MAXIMVM

CLEMENTEM XI.



ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apost. MDCCI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

CLEMENTI XI.



ORationem hanc, quæ de argumenti magnitudine vires ſibi comparat, & ornamentum, venerabundus, & ſupplex Tibi inſcribo, CLEMENS PONTIFEX MAXIME. Quod planè volens, lubenſque facio, quum ea, quæ in Leone ſuſpeximus, & admirati ſumus, in Te quoque, & virtutum ſimilitudine, & ſacroſanctæ, quam ſuſtines, dignitatis ſplendore confluant vniuerſa. Viros autem ægregiè doctos, & verè eruditos quum

Digitized by Google

Leo non dilexerit modò, ſed amauerit etiam eximiè, hoc ſanè Te illi facit quam ſimillimum, quod eos ipſos fouere, & amplexari, regij animi eſſe, ſummumq; apprimè decere Sacrorum Antiſtitem arbitreris. Mihi verò, qui cum antiquioribus, & ingenio præcellentibus minimè ſim conferendus, hoc vnum ſaltèm intercedit commune cum illis, quod ad noſtra hęc ſtudia liberaliùs, atque commodiùs exercenda, firmiſſimo CLEMENTIS XI præſidio non caruerim. Quod licèt ſcripto teſtemur, maius tamen eſt, quod corde gerimus, ergà Te, CLEMENS OPTIME, non temporarijs commiſſum literis, ſed perpetuum, & nunquam intermoriturum obſequentis animi monumentum.

Digitized by Google

IN FVNERE
LEONIS DECIMI
Pontificis Maximi.

ORATIO.



Lerique Oratorum, quum de alicuius eximij, præstantissimique viri interitu verba faciunt, illud animo reputantes, quòd Heroas morte præreptos speciosissima qualibet doloris significatione carere non deceat, ad lacrymas, comploratione{s}que descendere consueuerunt. Quod sanè argumentum licèt ego non improbem, non est tamen, quòd illi vel penitùs inhærendum, vel prolixius immorandum existimem. Volunt enim nos illo fonte expleri, quo nil citiùs arescit, & funebri luctu satiari, quo nil magis fluxum, nil magis euanidum. Quapropter iussu, & auctoritate vestra, ILLVSTRISS. PATRES, quum in hãc amplitudinem loci deuenerim, vt Pontifici Maximo Leoni X maxima nos debere testemur, dum illius fortia facta, & celeberrimæ huic Academiæ colla-

Digitized by Google

ta beneficia commemoro, ad alia omnia, quàm ad mœrorem, triſtitiamque vnumquemque veſtrum traducere non grauabor. Quis enim non debeat lætitia perfundi præclara illa geſta ſuſpiciens, quæ manent, manſuraque ſunt in æternitate temporum, fama rerum? Eximias ergo Virtutes, quarum fœcundiſſima genitrix Magnanimitas eſt, quum breui, caſtigatoque ſermone fuero perſequutus, præſidium etiam illud, & decus, quod de tanti Pontificis prouidentia liberalibus diſciplinis, boniſque artibus additum, ſua indonatum adorea non prætermittam. Et ſi noſtris nos magis affici par eſt, noſtra illa iure cenſemus, quæ de egregia Leonis X Magnanimitate, veluti de perenni fonte, in communem omnium ſplendorem, atque vtilitatem promanaſſe non diffitemur.

Hinc itaque vt narrationem noſtram inſtituamus; Veſtrosnè quandoque traxit obtutus Planta iugo inſidens, ardua, procera, & quæ, vt ait Poeta maximus,

——Quantum vertice ad auras
Aethereas, tantum radice in Tartara tendit?

Atqui hęc ipſa in miram exſurgens altitudinem, ramoſa brachia latè protendens, & frondoſo ſuperba cacumine, primo tamen, atq; exiguo in ſemine tota eſt. Præſenſiſtis, vt arbitror, Auditores, quò recidat argumentum. Et iam quod Heros noſter, vel in ipſa

ſa adoleſcentia, ampliſſima illa honoris inſignia fuerit aſſequutus, quibus Roma hæc inclyta, meritorumſedula inſpectrix, claros etiam Virtute viros, non niſi longinquiori tempore intercedente, condecorat; non eſt ſane quod admiremini. Neque enim ea dicenda adoleſcentia eſt, ſed grandior ætas, & firmior, quæ teneros annos prudentia anteuertit, & ad maiorum decora exprimenda paratam ſe, atque eximiæ indolis beneficio nunquam non ſentit idoneam. Quæ quidem indoles quantoperè in adoleſcente præluxerit, de ipſius Innocentij Octaui iudicio intelligimus, qui non inani ductus auſpicio ſacros inter Romanæ Eccleſiæ Principes Ioannem adlegit,quum decimumquartum ætatis annum vix attigiſſet. Quid defixo hæretis animo, quid obſtupeſcitis? Nouerat ſapientiſſimus Pontifex, Virtutis ardorem facilè excitari vbi lateant igniculi; & vbi vena ſaliat, vberrimos tandem fontes erumpere. Nouerat quòd vbi, veluti in traduce, Magnanimitas eſt, alia omnia iurè expectanda, quæ Principem deceant. Nouerat ijs ortum maioribus, qui non niſi magna, eximia, admiranda domi, foriſque patrauerant. Nouerat iuuenem Græcis, & Latinis literis probè inſtitutum, mira præditum ingenij dexteritate, morum ſuauitate inſignem, & qui regiam ſibi ſumeret adminiſtram Liberalitatem. Quæ quidem omnia quum

Digitized by Google

Heros noster ea in ætate præseferret, in quà complures aberrare soliti, vel voluptatibus illecti, vel æstuanti natura commoti, vel insita summo loco natis animi elatione prætumidi; quantus inde erat euasurus,quum ad viriles annos accessisset, in quibus voluptatem temperantia, iram fortitudo, & mentem plus nimio erectam æquanimitas plerumque solet excipere? Exserent profectò se Virtutes omnes, & in congestis iuueni dignitatibus Innocentium dicent neque fraudatum spe,neque peccasse consilio.

Et sanè eximiæ, quam de se excitauit, expectationi Ioannem Mediceum egregiè respondisse, illa ipsa quæ deinde gessit præclara, innumera, atque alijs imitanda potiùs, quam superanda, abundè testantur. En illa occursant difficillima tempora, bellorum strepitu inquieta, vento agitata turbarum, seditionumque. Sed Princeps animo infractus, & sibi dictum putans

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito;

aduersis non deijci, hostibus non deterreri, & calamitatibus licèt premi, poterit certè non opprimi. Dura exilij feret incommoda? At illum reducem fausto salutantium plausu Roma excipiet, & acerbitatis præteritæ magnitudinem præsentis lætitiæ cumulus compensabit. In hostium veniet potestatem? At illi ipsi, quo, dum captus est, equo vehebaheba-

Digitized by Google

hebatur, illi, inquam, insidens, vbi primum Lateranensem Basilicam accedet, veteri, ac solemni Romanorum Pontificum ritu triumphabit.

Intereà te quoque Iulj Pontifex Maximè vtique venerabimur, qui, vt olim Innocentius, tantum Ioannis Cardinalis Medicei prudentiæ, dexteritati, fortitudini tribuisti, vt illum impensè dilexeris, honoribus cumulaueris, & publicæ reddideris admirationi suspiciendum. Inde enim factum est, vt intelligerent omnes, quam dignus esset in Petri successorem præuijs acclamationibus designari, qui Iulio Pontifici, acerrimi sanè ingenij viro, tantoperè probaretur. Et profectò magni illi spiritus, qui de claritudine generis erumpunt, & promicant; illa in rebus agendis alacritas sapientiæ fulta præsidio, experientia edocta, vsu confirmata; illa denique ætas non in seductu, sed in publico Reipublicæ bono traducta, nonnè virum ostendunt, qui iurè, & meritò ad summum dignitatis apicem euehatur? Et iam, quod communibus omnium votis expetebatur, euenit. Nam Iulius Secundus, quem suprà memorauimus, quum illud exsoluisset, quod naturæ lex est, tributum, officiumque mortalium, Mediceus Hercules Christiano Orbi fulciendo humeros supposuit non impares, adeò vt communis omnium illa vox esset, moderatorem quidem accessisse alium, eandem verò virtutem vniuersalis

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ regimen suscepisse. Suo namque perseuerabant in robore magnanimitas, fortitudo, liberalitas, atque ea omnia, quæ hominem verè magnum, suspiciendumque constituunt. Et si quæ diximus necessaria existimantur ad præclarum Virum efficiendum, quanto magis illa ipsa requirere oportebit in viro Principe? In vironè Principe tantùm? Imò & Principum maximo, cui tradita clauium potestas; Sacerdotij, & Regni commendata fœdera; totius Orbis cura concredita. Qua quidem in re quum multa accidere soleant difficilia, perplexa, & solerti enodanda consilio, ipsi per vos videtis, Auditores, quam Leoni nostro operæ pretium fuerit se ipsum colligere, ne vires succumberent, ne ponderi cederent, ne, veluti diuerberata fluctibus compago, laxarentur.

Sed non est, quod ea formidemus; magnus quippè animus difficultatibus obluctatur. Præterea non in alieno, sed natiuo in solo, & de regnatrice Mediceorum domo in vnaquaque re exemplar habet, quod exprimat, quod æmuletur. Diffidebunt inter se Christiani Principes? Leo noster Germaniæ, Galliæque Reges Ludouicum, & Henricum sæuis armis depræliantes potens opere, & sermone pacabit; & Laurentium illum seniorem imitabitur, cuius Toga tanti fuit, vt, Italiænè dixerim, an totius Europæ? Europænè, an totius

Orbis,

Orbis? dissidia componeret. Occurrent, vt diximus, ardua, discriminisque plenissima? Iam Cosmus ille, qui ob Virtutem Pater Patriæ est appellatus, suam Leoni prudentiam suppeditabit, qua omnia possit feliciter aggredi, & ad exitum perducere feliciorem.

His confirmatus exemplis omnes Pontifice dignas partes implebit. Religionis vindicem vultis, & assertorem? En Septentrionales plagas pestifero anhelitu afflantem, vt Hydram vel reprimat, vel extinguat, Hieronymum mittit Aleandrum, qui oratione habita in comitijs Vormatiensibus, auditores adeò commouet, vt in Lutherum exardeant. Iustitiam dicitis Imperij columnam? En iura gladio armat, seditiosos coercet, & animos addocet sumere mitiores. Clementiam desideratis? En castigatos rursum reuocat in amicitiam, ampliori dignitati restituit, vt ea veluti mercede, præterita detrimenta non sentiant. Grandia hæc certe; sed & illa fortasse non minora, quòd sana consilia non respuit; viros fouet eruditione conspicuos; omnesque dignas libero homine disciplinas grandi non patitur carere præsidio.

Hic verò Auditores, Liberales artes vniuersæ, vt ad alteram ditionis nostræ partem veniamus, opportunè nos admonent. Intellexistis, vt in ijs, quæ regnandi artes dicuntur, maiores suos veluti exem-

plar

Digitized by Google

plar egregium, & vndequaque perfectum graphicè fuerit imitatus: animaduertite modo, vt in literis excolendis, ab illorum quoque æmulatione non deflexerit. Maiores illi neglectæ pretium fecere virtuti, peregrinantes literas reuocarunt, erexere iacentes, & Politianum, Ficinum, Mirandulam, grandia nobis dedere nomina, quæ tota posteritas venerabitur. Singularis iudicij Leo Petrum Bembum, & Iacobum Sadoletum sibi delegit, qui verè poterant eloquentiam Sedis Apostolicæ maiestate dignam sustinere, quum cæteros omnes Literatos, qui Romæ florebant, eruditionis, & doctrinæ laudibus anteirent. Magnanimus ille Cosmus Græcas literas Latio donauit, codices antiquos vndiquè conquisiuit, quos viri longè doctissimi verterent, emendarent, interpretarentur; & ne tanto molimini amplitudo loci deesset, Academiam in Hetruria celeberrimam excitauit, quæ Græciæ copias suas refunderet, nec ampliùs ventosa natio superbiret. Leo noster accitis vndique grauissimarum artium professoribus, Romanum Lycæum ità instaurauit, vt neque Bononiensi, neque Patauino vel doctorum præstantia, vel auditorum concursu concedere videretur. Tunc Romana iuuentus habebat quos admirabunda suspiceret, vel Beroaldum Iuniorem scribendis Odis Horatiana iucunditate præcellentem; vel Parrhasium Cosentinum

num humanioribus ſtudijs inſignem, vel Baſilium Calchondylem Græcæ eruditionis difficiles olìm, & penè imperuios adytus reſerantem. Et verè tanti Principis Liberalitate commoti huc omnes in literis eminentes aduolabant. Negat fortaſſe aliquis? At ipſa teſtis temporum Hiſtoria abundè confirmat, neminem extitiſſe vel liberalibus diſciplinis egregiè inſtructum, vel etiam mediocris, & exigui planè nominis Poetam, qui de Leonis Pontificis munificentia, meliorem ſe, & fortunis auctiorem non ſenſerit. Confirmat, inquam, Hiſtoria, per Leonem Decimum ingenuarum artium perfugium, claros eruditione viros ampliſſimis dignitatibus, honeſtis, opulentiſque ſacerdotijs, oppidis inſuper, atque donis ingentibus fuiſſe locupletatos.

Sed quid ego hìc luculentiſſima hiſtoriæ teſtimonia congero? Quid ea in re longiùs adlaboro, Viri clariſſimi? quum ipſa hæc Academia illius olim amplitudine cohoneſtata, & eximijs condecorata muneribus, ſatìs modo vos admoneat, vt neque rem exaggerari verbis diù patiatur? Et ſi tot, ac tanta, ſub ea tempora, in viros eruditione percelebres collata beneficia cognouimus, proculdubiò, ſi eius nunc bearemur obtutu, eoque præſente frueremur, inſitam animo liberalitatem, magnitudinem, clementiamque Leo noſter tum ipſa nominis appellatione, tum factis exprimeret. Vide-

Digitized by Google

deret enim, celeberrimo huic Lycæo decora ingenia non deesse, vel priscis illis comparanda, vel præferenda. Excitaret certè animos, & ad artes politiores exercendas vehementer accenderet, nec studia sineret, vel inopia retardari, vel egestate sordescere. Oh vtinam daretur tam præsentes alibi cognoscere diuos. Fallimur? An non in CLEMENTE XI literarum, literatorumque omnium amantissimo Leonem alterum nobis adfore, fatidicus quidam impetus mentis penetralia concutiens auspicatur? Habebimus certè nos quo impensè lætemur, sicuti & illi habuerunt, qui de Leone Pontifice, Virtuti locum patefactum esse, vnà omnes voce fatebantur. Sed quum illis abundè esset quo gauderent effusius, illis etiam non defuit quo acerbius dolerent: nam Leonem dicunt immaturo, importunoque obitu præreptum. Vt verò cæteris oculorum sensus longè præstat, ita descendunt altiùs quæ visu, quam quæ aure percipiuntur. At nobis datum est dolere remissius, quum sola restet memoria beneficiorum, & fructus; Clementis verò XI virtus eximia, & singularis in spem nos erigat forè, vt Leonis X. ergà bonas artes liberalitas, & studium floreat auctiùs, ac diuturniùs, quo sublato afflictæ diù, ac penè intermortuæ esse videbantur.

Digitized by Google